



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

S. Stephanvs Dictvs Ivnior.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

in patrum historia. Celebrat eundem Euagrius  
lib. 2, c. 9. Vixit Theodosij Iunioris imperio.

## S. STEPHANVS DI- CTVS IUNIOR.

**A** Nastasij siue Artemij imperio, Patri-  
archa Germano, Constantinopoli, re-  
ginâ urbium est natus hic Stephanus, pa-  
rentibus Christianis, Ioanne & Anna. Ab  
infantia literis deditus, templum quotidie  
cum matre frequentabat, iam tum se ieiu-  
nijs & vitæ asperitate afflicto. Vnde &  
sexto decimo ætatis anno religiosam indu-  
it vestem. Vbi se mox in cœnobio ad pu-  
gnam sanctiorem egregiè comparauit, om-  
nesque corporis motus repressit, restrin-  
xitque. Nec ita multo post euenit, vt vene-  
randus pater Ioannes huius magister, &  
cœnobiarcha, beata quiete mortis potire-  
tur, cum Sancto huic Stephano mox præ-  
fectura monasterij committitur in illustri  
cœnobio S. Auxentij, vbi religiosæ vitæ  
stadium egregiè cœpit decurrere. Sed po-  
stea sator scelerum, aduersus Dei Ecclesi-  
am implacabile bellum concitauit, vt ne  
sacræ sanctorum imagines colerentur. Leo  
porro Isauricus huius aptum erat suscita-  
bulum. Sed enim ipso vitâ mox deuoluto,



à B. Germano egregiè refutato & repulso, Constantinus Copronymus impietatis illius hæres & filius, maiora etiam mala designauit, Ecclesiamque vastauit & euerit, sacras imagines flammis aboleuit, viros religiosos exilijs, & omni genere tormentorum afflixit. Hic cum de B. Stephano accepisset, quod & sacras iconas veneraretur, & ab eo in hæreticorum censum referretur, & hæresi subscribere recusaret, misit qui illum comprehenderent, & innumerus excarnificatum tormentis carcere, quod prætorium vocant, inclusit, vbi & lectissimi quique monachi duo supra quadraginta detinebantur, & illi ex Petri & Andreae cœnobio, alijque ex alijs locis ad trecentos vsque, hi nasus, illi auribus, alij oculis, manibus, alij & mento multati, quos ibi repertos B. Stephanus, amicè complexus ad patientiam, & pugnam adhortatur, interimque disciplinam religiosam ad vnguem in ipso prætorio sanxit, obseruauit. Quod cum Imperator intellexisset, carceremque in monasterium à Stephano esse commutatum, cum vndecim iam ipsos menses in carcere traduxisset, inde eiectus, in terram deuoluitur, saxisque impetitur, ac fustibus contunditur. Vnus autem quidam ex latronibus arrepta sude cerebrum ferit, sanctūque



que capite ex ictu hiante interficit, qui preciosam Deo animam commendavit. Reliqua autem licitorum turba iam mortuum ac nudum in viam publicam protaxerunt, manusque & pedes lapidibus comminuerunt, ipsosque digitos vna cum unguibus conuellerunt: quoad quidam ex impij illius Imperatoris satellitio, ingenti saxo ventrem illius ictum dirupit, vnde mox omnia eius viscera in terram effusa sunt. Et caupo quidam titione ex igne rapto, capitiq; impacto diffudit totum, ipsumque cerebrum in terram excussit, reliquias illius sacras impuri illi in mare sparserunt. Postea tamen (inuentæ) à pijs quibusdam conditæ eo loco sunt, quo & hodie sitæ spectantur.

### ANNOTATIONES.

**A** Diuncta est huius vita operibus Damasceni auctis, ex bibliotheca Constantinopolitana depromta interprete Iacobo Billio, quam in sua opera transtulit Surius, atque in capita distinxit. 28. Nou.  
 Hic ex Menæis epitomen legis torius vitæ. Laudat eundem Cedrenus in Constantino Copronymo, Anno, inquit, XXV. insaniâ contra omnes Deum timentes percitus Stephanum iuniorem, omnibus ob illustres virtutes cultum (sexaginta enim annos inclusus clauetro, quod est in colle Auxentij exegerat) variè cruciatum necat.